



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Coppensteinivus Conceptuum Prædicabilium In Dominicas Festaqve omnia per Annum

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1624

Dominica Septvagesimæ. Simile est R. C. H. P. qui exiit primo mane
conducere operarios. Matth. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51556)

pruna. &c. Magis hoc in hominū operibus vult Deus, ac sexuum. Ita Dauid distinxit Psal. 12. *Sicut oculi seruatorum in manibus dominorum suorum: & sicut oculi ancillae in manibus dominae suae.* Liquet, in bene morata familia aliis alia conuenire.

*Vocis u-
nius diuer-
sa significa-
ta.*

II. Fermentum tamen diuersa notat in S. Script. Vt & vox Leo Christū, Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda: Et Satanam,* 1. Petr. 5. *Circuit diabolus tanquam leo.* Vt, *Serpens,* Satanam, Gen. 3. *Serpens decepit me.* Et *Mefiam,* Ioan. 3. *Sicut exaltauit Moyses serpentem &c.* Sic *Aues,* daemones notant. Luc. 8. *quae sementem verbi Dei à cordibus raptum deuorant: hic iustos vorant.*

*Fermenti.
tem.*

Ita quoque fermentum in peiorem partem accipitur: Vt Luc. 12. *Cauete à fermento Phariseorum; quod est hypocrisis.* 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* 2. Signat doctrinam & traditionem hominum. Vt Luc. 12. *Cauete à fermento Phariseorum & Saduceorum.* Origenes, *hom. 5. in Leu. 2.* putat eam ob causam fermentū à sacrificiis fuisse exclusum. 3. Signat malitiam. 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis azymi.* Qua forte ex causa cōesturi Agnū, domi fermentū asseruare prohibebantur. Exod. 12. *Adre primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentū, peribit anima illa de Isra-el.* 4. Signat praedicationem: Vt hic.

*Ecclesia est
fermenta-
rix.*

III. Mulier ergo id fermentum subigens, est Ecclesia. Et quidem Iudith. 5. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, in sensu verborum.* Et hanc Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* Hæc est Apo. 12. *amicta sole, premens lunam pedibus redimitaque stellis xii.*

Tria fermenti *sat. a.* quibus id inferitur; lex est triplex. Naturæ, Moysis, Euangelii. Aut Fides, Spes, Charitas. Aut Oratio, Ieiunium, Eleemosyna. Aut Paupertas, Obedientia, Castitas. Aut Contritio, Confessio, Satisfactio. Hæc enim Eccle-

sia subigit praedicando, & practicando.

Per ora ex re peritis dictis per partes: ac oïnseite in affectu iam prius concitato.

DOMINICA SEPTIMA
GESIMÆ.

Simile est R. C. H. P. qui exiit primo mane conducere operarios.
Matth. 20.

I. **N**VMINE irato, 1. Reg. 21. pluuiam diu negante Iudæis; Dauid orans, causam flagelli intelligit, esse peccatum Saulis; ob iniuste caesos Gabaonitas. Qui ab Dauide rogati per legatos quam satisfactionem expetant, aiunt: *Dentur nobis 7. viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino.* Dati, in monte ad urbem Gabaa, crucifiguntur. Respha, mater aliquorum, dienoct eque adhærens crucibus plorat innocentes, ob patris noxam non ob suā, plexos.

Sic iratus Deus per inobedientiam Adæ, diu negauit pluuiam gratiæ, & misericordiæ. Patribus multum orantibus, ut destinatam diu ac promissam satisfactionem Christum daret. Datus est: & in Vno eo 7. dona Spiritus. Sed ded tus is neci crucique est. Ecclesia, hoc tempore, triste intuens spectaculum, mortem infontis luger, cantu habitu que mutato. Simul Fideles hortatur, ut partæ, per eius mortem pluuię gratiarum participes efficiant vineas suas, & seipfos, in istis, & in Domini vinea laborantes, donec merces annumeretur.

Nos autem in præsens de hoc

- I. *Quod labore ad salutem opus.*
- II. *De Dei nos vocantis amore accelerante, & pacto.*
- III. *De vocantis, vocatorumque debito, & horum tardatione.*
- IV. *Qui sint otiosi in hora v. & decima.*

V. *Quid*

- V. Quid à Vespera, & Procuratore expectandum?
 VI. Quales opera?
 VII. Quæ merces operarum?
 VIII. Quis, quantusque Denarius?

PARS I.

Labore ad salutem opus est assequendam.

1. Natura docet in Ethnicis.

1. Opera bona sunt ad salutem necessaria: ad ea labore opus. 1. Dynamique laboribus omnia vendunt. Hoc omnium gentium axioma semper obtinuit. 1. Aegyptius symbolum laboris erat, pictum bouis caput; ut pote bruti laboriosi. 3. Romani immolantes bouem, coronabant ei caput: innuentes labori coronam deberi. Hæc vana: Accipe sacra.

2. Docetur in figuris Legis.

1. Salomon in templi columnarum basibus, boues & Cherubin efformavit: 3. Reg. 7. significans, instar bouum nobis in Ecclesia laborandum; si Cherubinis sociari cupiamus. 2. In Exodo iussus est Moyses cortinas lineas, hyacintinas, & purpureas facere. Purpura notat, adusque sanguinem esse laborandum: Linū, quod toties manus subit, & tunditur; denotat mortificationem: Hyacinthus, cœlestis præmium declarat. Hinc Cant. 5. Manus illius plena hyacintibus. Indicat, quod, qui laborat, seque mortificat; is gloriæ hyacinthum promereatur.

3. Docet Euangelium.

2. Inde Matth. 11. Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud; id est, laboriosi, & mortificati, non inertes. 2. Nam 1. Cor. 3. Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundum laborem suum.

4. Docent exempla.

II. Dauid 1. Reg. 17. ante debuit Goliatham sternere; quam filiam Regis acciperet uxorem. Sic ante mundum vincas, quam cœlum teneas. Dedit enim Deus potestatem filios Dei fieri. Ioan. 1. Et Vita hominis militia super terram. Iob. 7. 2. Expertus dixit. 2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummaui; in reliquo reposita

est mihi corona iustitiæ: 3. Potentibus honorem sedendi à dexteris & finistris Christi, hic ait, Mat. 20. Nescitis, quid petitis. q. d. per laborem hucitur. 4. Antigonus Rex iuueni imbelli, præmium petenti bellicositatis paternæ, ait: Ego virtuti proprie, non aliene, mercedem dare soleo. Sic Deus reddet cuique secundum laborem suum.

5. Isaac, Gen. 24. Rebecca sponsæ Armillas, & Inaures dedit. Hæ sunt fidei; istæ operum sunt symbola. Fide nos Deus donat primo: quæ Iac. 2. Sine operibus mortua est. Sine operibus præmium nec speres. 2. Cant. 5. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. q. d. Me ama: & ad labora. 3. Debiles manu, & claudos, Leuit. 21. ingressu tabernaculi Deus lege arcebat, id est, labori ineptos, aut inuoluntarios cœlo arcebat. 4. Animæ ornatus talis fit oportet, Psal. 44. Omnis gloria filii Regis ab intus, in intentione: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus foris laboriosis operibus.

5. Figura alia.

III. Opera necessaria sunt. Quia cœlum est eorum præmium. 1. Si enim ob minutum quid terrenum sudemus; magis oportet ob cœlum. Ecce, 2. Iacob, ut Rachaele potiretur coniuge, 7. annis, iterumque 7. laborans seruit: Gen. 29. Quid ad cœlum illa? Ro. 8. Non sunt condigne passionis huius temporis ad futuram gloriam. 3. Cicero in epist. ad Atticum, audit, fratrem petere consulatum, ei scribit: Peregrinus es, mi frater; Roma est; Consulatum petis. Quid: de te, de cœlo dicam? Non est mollis ad astra via. Quia cœlum hoc pluris fit, quo constat pluris. Nam difficilia, que pulchra, At chara, que cara, ac rara.

Cœli præmium labor est.

1. Saul 1. Reg. 11. gratis, ex sola Dei gratia ad regnum euectus, id tanti non fecit, quantum par; ut se fugâ quoque subduceret, ne eligeretur. At, post Ammonitas profligatos, ut promeruisse id visus est; regnum plurimi fecit. 2. Iacob.

Charum quod labore emptum.

singularem Iosepho hereditatem præceteris dans, ait, Gen. 48. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. LXX. verunt: Do tibi Sichimam præcipuam. Alii sic: quam tuli oratione & obsecratione. Laborem cœlum emittitur: & vim patitur.

P A R S II.

Dei vocantis nos accelerans amor, & pactum. I. Deus pater, Nos laboratores, ad Ecclesiam vocat, pro beatitudine. Deus exijt primo mane: amore nostritanto, vt vel quietem abrumperet. 1. Nam Prou. 13. Qui diligit filium, instanter erudit. Hebraicè legitur, Mane diluculo erudit. 2. Amore pellaci quærens adolescentem: lupa Prou. 7. ait: Egressa sum, vt mane consurgerem ante faciem tuam. Sic hebraica lectio. q. d. adeo te ardens depereo. Plus amat nos Deus: vt mane primo exeat. Imo festinans, Psalm. 20. Ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum amator tui.

II. Misericordiam præstiturus mane exit: at vindictam parans, tardus & ferus exit, Gen. 3. Deambulans ad auram post meridiem. Pedes habet, vt Cherubin, velatos: id est tardos ad pœnam: at alas ad gratiã. 2. Ouid. de Cæsare canit in Tristibus. Tardus es ad pœnas, Princeps; ad præmia velox.

Sic Deus. 3. Nondum surrexerat sponsa, cum sponsus diceret: Cant. 5. Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore. 4. Hinc ea vigilantior facta ait, Cant. 2. Ecce iste venit: saliens in montibus, transiliens colles. Nimirum vt exercitationibus faciat lampades cœli: & astris ipsis inuidiam.

III. Mane exit: Ab incunabilis nos gratia sua præuenit. Is. 49. Dominus ab vtero vocauit me. Ierem. ait cap. 1. Priusquam te formarem in vtero, noui te. Psalm. 21. In te proiectus sum ex vtero. Psalm. 118. Suscepisti me ex

vtero matris meæ. De Baptista Luc. 1. Spiritu sancto replebitur. adhuc ex vtero matris sue, Paulus Gal. 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiã suam; An parum mane ad hos exiit?

IV. Quin & horis exit diuersis diuersos aduocans: operarios, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyr. Confessores. Et cum singulis paciscitur mercedem. Mirum! Pacta Deum inter & hominem esse posse, tot illi nominibus debitum.

Et pactum nõ solum promisso firmat Deus; sed & scripto. Cum tamen sit Psalm. 114. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & factus in omnibus operibus suis. Vnde Paulus 2. Tim. 1. Scio, cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.

Addit etiam Deus pacto ceremonias; vt sit insignis. 1. Gen. 15. Pactum cum Abraham firmat signo flammæ, ante eum per medium autum, & iuuenarum cæfarum transeuntis. 2. Exod. 24. In publicatione Legis pactum suum firmat asperzione sanguinis, super aram & populum facta per Moysen: Vt ex signo cognoscât sanctum esse oportere.

Mirum! Deum, quasi hominem, ad certas leges & condiciones astringi, fierique debitorem: & nostrum. Quid, si Rex vili lixæ ius daret, quo posset ipsum Regem in iudicium vocare; nisi iter sponte initis cum eo pactis? Et hoc Deus homini dedit. Miratur id Iob. 13. Contra folium, quod ventor apitur, ostendis potentiã tuam; & dignum ducis super huiusmodi hominem aperire oculos tuos; & adducere eum tecum in iudicium?

P A R S III.

De vocantis debito, & vocatorum insuper tardatione.

I. Miranda ista: sed magis, quod modum Deus excogitarit, quo se

Deus est deamans. nostri.

Citus ad iuuandũ: tardus ad puniendũ.

3. Vocatio nos præuenit.

Pactum se nobis obstringit.

Pactum scripto firmat.

Ceremoniæ solennizat.

Hoc admirandum magis accurrendum.

Deus est hominis debitor.

Hominis debitorem constituat. Sicut, si quis Dominus allaboret, quemadmodum seruatorum suorum potestati sese subiiciat obligatum: atque ex sola misericordia inductus pactum ineat: & dein facti se debitorem fateatur. Ita vi pateti opera nostra, alioquin ex se nullius valoris, meriti sunt infiniti. Nihilominus tamen Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt, dicite: serui inutiles sumus.* Nā P om 8. *Non sunt condigna pass.* &c. Interea 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiae: quam reddet, &c.*

Idque ex suo ipsius pacto.
Dauid 2. Reg. 12. adolescens iugularat vrsum, aut leonem, &c. Quae facinora etsi magna; nullum tamen ex iis praemium, aut laudem tulit. At mox ut hominem confecit; gratiam, & filiam Saulis meretur. Cur? Quia Saul ita iurarat. Sic in vinea Domini meremur mercedē: quia pactus eam Deus est.

Itaque vltro accurrere oportet: At iam Dominus etiā exit, nos conductum. Quae miranda bonitas est. Quid enim hoc? Creatura ante vult esse mercedis certa; quam Creatori quidquam praestet. Quasi nolit ei obsequi; nisi praestet promissum suum, in primis voluntariū; at nunc quasi necessarium: vt quam ipse sibi necessitatem imposuerit.

At tamen homo est mercenarius.
Vere nihilominus de homine Job. 7. *Sicut dies mercenarii, dies eius;* hominis. Inter Mercenarios se & Dauid profitetur Ps. 113. *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes eius, propter retributionē mercedis.*

Vt si in vinea dāmonis.
II. At in vinea Domini, non dāmonis, laborandum est. Huius vineae sunt Gomorrhæa, Vah! sunt Sodomæa, le-richuntina; sunt vitiorum omnium. Ps. 43. *Non me inuocasti, Iacob; nec laborasti in me Israel.* q. d. Dum idolis impij sacrificarunt sanguine; tu mihi ne vel amore, aut prece seruiisti. Et si quid laborasti, nō tamen in vinea mea.

Deinde omni hora nos vocat; tamen si hic vndecima ponatur vltima. Ab vltro vocauit me; Ierem. 1. Et; *Adolescenti tibi dico, surge.* Luc. 7.

Deus vocat obstrictos vltro accurrere.

Sed facimus vocati, 1. vtille, Matt. 8. *Permitte me primum ire, & sepelire patrem nostrum.* Friuole causamur cunctatores.

At tardamus maius

2. Agimus, vt vocatus ab Elia Eliseus, 3 Reg. 19. *prius tulit par boum, & mactauit illud; & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, vt comederent.* Ita primas obsequij damus homini; dein, ac vtinam satis, secundas Deo: quin faeces saepe ac scoriā.

Subinde ad mala abimus.

Quid, quod in alia omnia, quam ad quae vocamur, non raro abeamus? Idque vel destinata malitia; vel errore, vt Letho contigit. Corrixantibus indies pastribus Abraham & Loth, inuicem hi separati sunt, Gen. 13. Loth optione accepta elegit regionem planam, amœnam; sed deliuem, & sceleratam. In qua ditatus, spoliabatur; imo & sui capiebantur: quae ipsa demum de caelo perit igne. *Malo vsus consilio in eligendo:* ait S. Ambr. Montosa scilicet virtutum reliquerat Abraham. Ita vocati à Deo persæpe facimus similes Loth.

Exit Dominus omni hora: Prima cum Ada stipulatur: tertia cum Noë: sexta cū Abraham: nona cum Moyse: XI cum Apostolis. Hac in otiosos stomachatur: *Quid statis tota die?* q. d. Quod antehac steterint, minus mirum: at iam tempore gratiæ hic stare, est regredi, & excidere: Adeo multa, & certa suppetunt nunc auxilia Sacramentorum, doctrinæ, exemplorum; vt hæc citra grauem culpam negligi non possint.

Vocat etiā magis obstrictos in Euangelio.

P A R S IV.

Qui sint otiosi in hora vndecima?

I. **A**dolescentes, iuuenes, viri tardantes vocati, aliquam merentur veniam: at Senes horæ vndecimæ, incre-

Senex otiosus est.

I 3,

pan-

Pandi sunt acrius, si tardent. Quo enim se excusent? Iam stant: imo decurrerunt, festi

1. *Odiosus.*

si vanitatis ac pertasi. 1. Hinc bene S. Cyprian. li. 12. de Abus. *Secundus gradus abusionis est, Senex absque religione, & sanctimonia.*

2. *Impius.*

2. Ezech. ca. 8. vidit abominaciones in templo: in his fuere cani, sed lasciui, & dorsu aræ obuerentes, id est, pietatem auersati.

3. *Inutilis.*

3. Arbores in vere florentes, ætate viuentes, at autumnò nullum fructum effe-

4. *Fatuus.*

rentes, excidenda sunt: sic Senes Deo otiosi. 4. Eccl. 25. *Tres species odit anima mea, & aggrator valde anima illorum. Pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuū.*

5. *Ætati contraria gerens.*

5. Alciatus refert priscorum emblema fictum: Amorem & Mortem in idem forte hospitium diuertisse: mane alterum alterius arma accepisse ex imprudentia: suis dein quemque uti voluisse: at

Hinc iuuenes occidit Amor, fallēte pharetra:

Hinc Mors ipsa suos cogit amare senes.

Amor necabat falce: Mors telis cupidineis hircissare cogebat senes. Ambr. an non otiosi?

Longe aliud reliquit exemplum. 2. Reg. 19. Berzellai senex oblatos à Dauide honores recusauit: tum parto in iuuentute contentus decore: tum indignum sene ratus, iam canum sequi aulicas delicias.

Otium in locis grauius.

Si otiosi in foro; quanto magis in templo, reprehensibiles? Ut sunt oscitabundi in Sacris, Concionibus, precibus. Quid de Canonicis? Quid de otiosis in cenobiis? In domibus ciuium? In curiis? In tabernis? In lupanaribus? &c.

Et solum otium hic obiectat: non adulteria, homicidia, vsuras, &c.

Otium est criminosis.

II. Sed cur otium solum? 1. Quia infame est. 2. Quia malorum complurium radix. 1. Hierony. *Amice Rustice, semper ali-quod opus facito, ut te semper inimicus inueniat occupatum. Et sic quantumcunque tenteris, nunquam tamen vinceris.*

2. Tum est infame: vt Philosophi maluerint credere, mundum ab æterno fuisse, quam otium Deo affingere. Nec enim sciebant operationes Dei ad intra; sed solas ad extra; vt Theologi loquuntur: adeo, si Deus otium ageret, non esset Deus. Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* 2. Hinc Elias pseudodeitatem Baal exhibilans, ait Sacrificulis: 3. Reg. 13. *Clamate voce maiore: forsitan, n. Deus in diuersorio est; aut certe dormit, vt excitetur.*

III. Catonis vox est: Briffonio teste lib. 4. *Homines nihil agendo male agere discunt.* 1. Solon, ait Diog. Laert. libr. 9. legem tulit; ne filij alerent parentes senes, aut agros; à quibus artem nullam didicissent. 3. Aegyptiis lex fuit, ceu prodit Diod. Siculus; vt quisque nomen & artem apud Magistratum profiteretur, qua viueret. 4. Pisi-stratus Athe. tyrannus, teste Aeliano l. 9. var. otiosos omnes ad se congregari iussit: dixitq; eis: *Si nec boues, nec semina habetis, de meo accipite, vt terram colatis.* Metuebat ab otiosis coniuirationē in suum caput. S. Augustinus ait. *Otium, viuētis sepultura est.*

PARS V.

Quid à vespera, & Procuratore expectandum?
I. *Cum sero factum, ob vesperam mortis, vel iudicij extremi, dat mercedem Deus eodem die: Et tu seruo tuo procrastinas suam? Quin & defraudas?* 1. Non ita Iob 31. *Si contempsi subire iudiciū cum seruo meo, vel cum ancilla mea, cum discipular et aduersum me.* 2. Hem, quid sapiens? Eccl. 34. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudat, facit mercenario fratres sunt.* Ergo fraudatio homicidium est. 3. Est & peccatum in S. Spiritum, clamans vindictam. 1. Mundus autem est, vt Laban Gen. 31. 3. *Laban deceptor iusti Iacobi querentis: Pater vester circūuenit me, & mutauit mercedem meā decem vicibus.* 4. Est, vt Pharao, tyrannus: 4. *Phara qui per diem fessos etiam flagellabat sub vespe-*

Est infame.

Ethnicis detestabilis.

Fraudatio mercedis est iniusta.

2. Homi-dialis.

3. Laban-tica.

4. Phara-nica.

vespe-

vesperam. Exod. 5. *En famuli tui flagellis cadimur: & iniuste agitur contra populum tuum.*

Officium
Principis
iuvant.

II. *Voca operarios, & redde mercedem.* Demandat hoc procuratori; & simul ipse præest rationibus. Et Principes, vt habeant Vicarios, ipsi tamen non ideo sunt omni cura liberi. Oculum adiciant tum Vicariis, tum subditis. 1. Sic Moyses, etsi haberet 70. seniores. Exod. 18. *Qui iudicarent plebem omni tempore; Attamen, quicquid grauius erat, referebant ad ipsum.*

2. Principatus enim sunt onus personale; ideo humeris incumbit Vnius; Isa. 9. *Principatus eius super humerum eius.*

3. Elias vnus erat *Curus Israel, & auriga eius*; 4. Reg. 8. ita Princeps bonus.

Seruus do-
minans
nocet sub-
ditis.

At, quia Officialibus minus attendunt Principes; hinc lachrymæ. Saul visis & auditis Galaaditis plorare, (opprimebantur enim ab Ammonitis,) quarit: 1. Reg. 15. *Quid habet populus, quod plorat: Reque cognita, spondet auxilium: Et insiluit spiritus Domini in Saul, & iratus est furor eius.*

Et Domi-
nis.

III. At qui subinde Domini seruos, vt dicitur, adorare videntur: tantumque eistribuunt; vt & a subditis pene adoratos velint. 1. Similes Nabuchodonosori, qui iussit adorari statuas à se erectas; etsi luteas. Dan. 5. Hinc serui videntur esse domini: & vice versa. Quod quicumque seruo displicet; Domino item. 2. Accidit hoc Dauidi, Cui Achis Rex 1. Reg. 29. *Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philistinorum dixerunt: Non ascendat nobiscum in prælium.* Igitur cum ablegat ex aula, Heu! Hæc hodie ruina est regnorum, magnificatio seruorum.

Et regitur
à Satana.

3. Ita Satan decepit Achab. 3. Reg. 22. *Ego decipiam illum. Cui Dominus: in quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Et ait Dominus: Decipies, & præualebis. Egredere, & fac ita.* Non sic egit hic pater familias.

IV. Neque tamen ipse; sed procurator

mercedem adnumerat. Recte. Melius *Expertus* enim aestimare de labore sciunt *Procurator* vel inspectores propiores: quam deliciis *est Christi-* assueti sæpe Domini. Procurator autem *stus.* noster est Christus, Heb. 4. *Tentatus per omnia.* 1. Hoc vnum solabatur Iob 14. *Scio quod Redemptor meus viuit, qui a rumnas has ipse vti inspicit; sic & compensabit.* 2. Idem vnice orauit Ps. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* id est: Transfer in filium tuum munus remunerationis, quam mihi datam volebas. 3. Item Psalm. 85. *Da Domine imperium tuum, puro tuo, Christo.*

PARS VI.

Quales Operarij?

I. Operarij in Ecclesia multi, strenui. Quia Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euang. alios autem Past. & Doctores, ad consummationem SS. in opus ministerij, in adificationem Corporis Christi.* Ita tunc:

Nunc vero Matt. 9. *Messis quidem multa; operarij vero pauci.* Quia mundus operas omnes conduxit. Vt 1. Reg. 13. *Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel. Cauerant enim Philisthim; ne forte facerent Hebrai gladium, aut lanceam, vel ad refectendum, vel rebellandum.* Ita mundus arma eripit plebi spiritalia, fabrosque eorum. Prædicatores bonos Philisthæi non abduxerant negotiatores, vsurarios, aulicos: sed fabros & poliones. Ita nec mundus frigidus, vanos aut improbos prædicatores non retardat. Si tamen quos relinquit spirituales, eos tibi inuitiles censet; natosque fruges consumere.

Ecclesiasto
bonitari.

Veri operarij specimen in Hiera Tyrio descriptum est. 3. Reg. 7. *Misi tibi virum prudentem, qui nouit operari in auro, arg. are & ferro & marmore, & lignis: in purpura quoque hyacintho, bysso & cocino: & qui sciat celare omnem Scripturam, & adinuenire prudenter, quodcum-*

Perfetti
quales.

quodcumque in opere necessarium est. Talis Ecclesiastes esto, aptus in omni materia labora, in summis, mediis, infimis, duris, mitioribus &c. in omnitentatione, affectione, casu.

Catastro-
pha om-
nium. A

II. *Voca operarios.* Vbi ergo Nobiles, Philosophi &c. Illi mundi luce euocantur ad alta; at in vespera iudicij extremi vocantur *Operarij*. 1. Tunc magis proderit remississe iniurias, &c. quam Cæsaris habuisse victorias. 2. Tunc vnus actus hu. militatis est pluris, quam Alex. Magni maiestas: Eleemosyna pluris, quam opes Creffi, Assueri, Crafsi. 3. Tunc Isa. 29. *Libanus in Carmelum conuertetur.* 4. Tunc fertilia, pulcra, &c. mundi sterilescent, sordescunt, &c. Tunc verum, quod 1. Reg. 2. *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.*

PARS VII.

Quæ merces operarum?

Bona opera sunt saluti. fera; sed in Christo. I. *Redde illis mercedem, bonorum operum.* Ergo hæretici sunt, qui istam his reddi negant. 1. Contra Gen. 15. *Ego sum merces tua magna nimis.* 2. Mar. 9. *Non perdet mercedem suam.* 2. Mat. 5. *Exultate, quoniam merces vestra magna est in cælis.*

Fateor, ex nobis serui inutiles sumus. 1. At *Sufficiencia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. *Et Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. 2. Vt, 4. Reg. 1. *putrescentes aquas Ierichuntinas Elisæus iniecto sale reddidit dulces:* Ita sal nostrum sunt merita S. Crucis Christi. 3. *Moylis manus extra sinum erat leprosa; reducta in sinum fit munda.* Exod. 4. *Sic opera nostra extra Christum. A deo primas operum nostrorum debemus Deo; qui dat velle, & perficere.* Vnde ait per Psal. 91. *Cum ipso sum in tribulatione.* Ideo inuocatur Sap. 9. *Veni ad me Sapient. Dei. Vt mecum sit, & mecum laboret.*

Qui gratiâ & gloriâ II. *Mira dignitas hominis, qui in collegam à Deo adsciscitur, cuius etiam minor*

pars operis est; ei tamen merces datur dat pro op. soli. 1. Vt si Dux multa pertulisset in obfidi- rib. Civi- dione vrbis; occupata vero triumphum stus. Tribuno cederet. 2. *Vt fecit, 2. Reg. 12. Ioab, castra Rabbath delens, & urbem Aquarum cogens ad deditioem; prior noluit intrare, sed Regi nunciat, vt prius intrantis sit gloria Regis.* Ita Dominus suum donum esse meritum hominis facit.

3. *Simile in expugnatione vrbis Iericho Ios. 6. Iussit Dominus omnes stare in acie, muros circumire; cum tamen ipse eos deicere statuisset, & deiecit.* At cooperatores eos esse cupiebat; non egebat. 4. *Ioas Rex Israel, 4. Reg. 13. eiecit sagittas, at Elisæus tergo eius imponebat manus suas.* Sic homo Rex mundi, tela operum bonorum iacit; at Deus prosperat.

5. *Sane Isa. 64. Iustitia nostra quasi panis menstruat.* At in Christo fiunt gloria & honore coronata. 6. *Nam Cant. 5. Species eius, vt Libani.* In quo monte quasi omnis decor templi creuit; cum omnia ligna inde sint desumpta. Ita omnis species operum nostrorum est, vt *Libani Christi.* At Christo, Isa. 35. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* 7. *Clare Paulus Rom. 11. Tu autem cum oleaster esses, insertus es oliuæ: & socius radicis, & pinguedinis factus es.*

PARS VIII.

Quis, quantusque Denarius?

I. *ET acceperunt singuli denarios, æternæ vitæ.* At cur vnus idemque singulis? 1. *Hæretici aiunt, indicari æqualem omnium gloriam fore ex mera gratia; non ex operibus.* 2. *Catholici quidam aiunt, Deum, præter omnium opinionem, his minorem, istis maiorem daturum gloriam, quam meriti fuerint.* 3. *Omnes fere aiunt, mercedem dandam non vitæ temporis; sed operi, operisque charitati.* 1. *Hunc ad modum Sap. 4. Con-*
Virtutis modum, tempus muneris Deus.
summa-

summat in breui, expleuit tempora multa.

2. Sic qui vna hora laborarunt nouissimi, pares fiunt primis, aut superiores.

Imperfecti
Secus.

Hinc Religiosi non se efferant ob professionis antiquitatem. Virtutes numerent; non annos. 1. Et isti sunt refutati, qui dicebant: *Hi vna hora laborarunt, & patres nobis fecistis, qui portauimus, &c.* 2. Sic & 1. Reg. 30. Expugnatores vrbis Sicelech nolebāt esse socios prędę eos, qui ad sarcinas remāserāt. At secus sanciuit Dauid.

Trutina
meriti tri-
lanx.
1. Tēporis.

II. Recte. Nam meriti magnitudo ē tribus maxime sumitur. *Primo*: Ex temporis diuturnitate. 1. Idem Iacob, Gen. 27. questus est ad Laban: *Viginti annis seruiui tibi.* 2. Sic frater prodigi ad Patrem, Luc. 15. *Ecce tot annis seruiui tibi.* 3. Sic Ezechias Rex, 4. Reg. 20. *Memento queso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.*

2. Laboris.

Secundo: Ex difficultate operis. 1. Hinc D. Th. q. 26. art. 2. ad 8. putat Martyrem Confessori pręire multo quoad pręmium accidentale. Ergo quisque se animet ad opera ardua, & heroica; dicatque cum Dauid ad Achis: 1. Reg. 18. *Nunc videbis, que factururus est seruus tuus: pręsertim si causa Dei difficultatem habuerit.*

3. Charitatis.

Tertio: Ex charitatis quantitate. 1. Sic, Luc. 2. viduę denarij duo pluris æstimati sunt quam cęterorū oblata in gazophylacium. 2. Sic, qui vndecima venerunt.

Iusta que-
rele nul-
lus locus.

Quod autem Deus huic maiorem, minorem illi det gratiam: est, quia sic vult. 1. Lique hic in murmurantis increpatione. 2. Dein, vt in creatione conqueri vna creatura non potuit de altera nobiliore: ita nec in reparatione ad gratiam. 3. Ganyceium puellarum Assueri conqueri non poterat de Esthera, cunctis prelata: fatiis esse debebat, se ipsas ex humili euetas ad Regiam Maiestatem gemmis auroque rutilare, Esth. 2. Ita sub lege Christi, qui vna hora laborant, maiori sæpe gra-

tia dotantur, quam qui sub lege Moyfis pondus & æstum diei tulerunt: Neque tamen, quod conquerantur, habent. *Per ora* ex repetitione dictorum, patheticus instituta.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit, qui seminat seminare semen suum. Luc. 8.

Simile in Dominica V. Post Epiphaniam. 1.

IN arca Noë, Gen. 8. tritēga, siue habitacula erant quina. Primum Foricarum, sordibus egerendis. Secundum, penuarium; victui asseruando, Tertium, Cauerarum. Quartum, Stabulum animalium cicurum. Quintum, habitaculum hominum, & volucrum. Hęc Figura. Iā Parabola; Istitis volunt interpretes significari totidem loca diuersa iacti seminis.

Vtriusque applicatio, & explicatio datur ista. 1. Terra secus viam, siue sentina arca, notat Luxuriosos, non nisi immundas cogitationes corde, & ore egerentes. 2. Terra saxosa, siue penuarium, indicant superbiam: Quod opes pariant corda saxea, & elata. 3. Terra spinosa, siue cauerarum, significat auaros: qui, quæ dentibus & vnguibus rapiunt, eadem & dilamant. Nam spinę pungunt, & lacerant. 4. Terra bona, siue cubiculum hominum, & stabulum cicurum, designat animas studiosas virtutum.

Triples quoque status Fidelium denotatur. 1. Coniugalis, per cubiculum cicurum animalium. Huic fructus est tricesimus. 2. Cœlebs, per hominum cohabitationem. Nam homines in arca se cōtinuisse, aiunt Doctores. Huic fructus est sexagesimus. 3. Virginalis per aues notatur cœliuagas, & cœlicolas: Est n. proximus Angelorum: Et fructus illi centesimus est.

Nos modo

I. *Parabolas quasdam de Verbo Dei adducimus.*

K

II. *Cur*